

quos *Canonicos*? ad terminos textus in cap. *Ut juxta* de offic. Ordinarii, et *Rota affirmative respondisset*, re delata ad hanc sacram Congregationem eadem censuit: *Episcopum in visitatione Capituli non teneri assumere aliquos ex Canonicis sed posse visitare vel per seipsum solum vel aliis adjunctis etiam extra Capitulum*; et resolutio fuit a Summo Pontifice Gregorio XIII. confirmata, uti fuse habetur apud *Fagnan.* in cap. *Ut juxta* a num. 37. usque ad finem de offic. Ordinarii et in cap. *Cum Venerabilis* num. 5. et seqq. de censibus.

Allegata conciliaris dispositio edita fuit sub Pio Quarto, uti habetur sess. 25. cap. 6. de reform., ubi additur quod si Episcopus extra visitationem adversus aliquem ex Canonicis procedere velit, teneatur id facere cum duobus adjunctis ex gremio Capituli, nisi forte ageretur de delictis, depositionem aut degradationem requirentibus et in quibus de fuga timeretur, tunc enim Episcopus tam ad personalem detentionem quam ad summariam informationem procedere potest etiam sine adjunctis, uti collegitur *ex allegato capite 6.*, quod tamen juxta resolutiones hujus s. Congregationis sibi vindicat locum tantummodo in exemptis *Barbos.* ad cap. 6. sess. 25. n. 3. de ref. et de Canonicis cap. 28. n. 2., *Tondut.* quaest. benef. tom. 1. cap. 61. n. 2., *Solorzan.* de jure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 14. num. 66., *Rot.* dec. 743. par. 1. divers. decis. 321. par. 2. divers. et in *Gien-*

nen. Adjunctorum 13. Februarii 1702 coram bon. mem. Molines, quae est decisio 13. in Mantissa ad Card. de Luca tom. 1. lib. 3.

Ab Episcopo transitum faciendo ad *Capitulum Sede vacante*, cum illud succedat in jurisdictione, uti habetur in cap. *his qui*, et cap. *Cum olim de majoritate et obedientia*, dicunt Doc-

tores, posse ab illo visitationem civitatis et dioecesis expleri, *Altaser* in vindic. Eccles. jurisd. lib. 8. cap. 16. in fine, *Marescott.* variar. resolut. lib. 2. cap. 15. n. 14. et seqq., *Novar.* in summa bull. comment. 38. n. 6. part. 1., *Rota* decis. 346. num. 2. et 3. part. 1. rec. et dec. 84. seu 85. cor. *Merlin.*, dummodo tamen elapsus sit annus a die ultimae visitationis ab Episcopo factae, uti in sequendo resolutiones hujus s. Congregationis in *Limana* 10. Maii et in *Pampilonen.* 2. Februarii et 10. Decembris anni 1629 docent *Barbos.* juris eccles. universi lib. 1. cap. 32. num. 71., *Novar.* in summ. bull. par. 2. comment. 32. n. 5., *Ventrigl.* in praxi rerum eccles. par. 2. annot. 15. §. 1. num. 21. Cumque Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reform. decreverit, quod Episcopo mortuo Capitulum deveniat ad electionem Vicarii, ita ut sublata fuerit dispositio juris communis, quo attento, poterat Capitulum mortuo Episcopo non devenire ad electionem Vicarii, sed per seipsum jurisdictionem exercere, uti ponderat *Fagnan.* in cap. *his qui* n. 66. et seqq. de majoritate et obedientia, ea, quae dicta sunt de facultate Capituli quoad visitationem civitatis et dioecesis, sibi debent vindicare locum in *Vicario capitulari*, ut in terminis visitationis dioecesis resolutum fuit ab hac s. Congregatione in *Salernitana* anno 1589 pag. 81. lib. 6. decr., in *Asculana* visitationis 8. Maii 1683 et in *Ostunen.* 28. Julii 1808 lib. 53. decr. pag. 266., ubi proposito dubio: *An et quando Vicarius capitularis possit visitare?* rescriptum fuit: *affirmative post lapsum anni*; et ab hac eadem s. Congregatione statuti fuerunt fines, intra quos Vicarii capitulares deberent se continere in exactione procurationis ipsis debitae occasione visitationis, uti habetur in *El-*

nen. 29. Martii 1648 lib. 18. decr. 446.

Haec quoad visitationem civitatis et dioecesis; quoad visitationem vero Capituli et quoad visitationem personalem Capitularium, excellentior haec et magis fructuosa dicitur visitatione locali et reali, uti plene habetur apud *Restum* in directorio visitationis et apud *Crispinum* in sua visitatione pastoralis par. 3., cum haec respiciat vitam et mores Capitularium et de eadem sermonem facere videtur *Rota in allegata decis. 84. seu 85. coram Merlin.*, in qua postquam docuit Capitulum sede vacante posse visitare civitatem et dioecsim et omnia ejus membra, inquit, visitationem nedum consistere in accessu ad unamquamque Ecclesiam, sed in perquisitione et reformatione morum tam cleri quam populi et quoad punctum procedendi adversus Canonicos cum vel sine adjunctis, s. haec Congregatio resolvit: *debere Vicarium capitularem procedere cum adjunctis, si Episcopus id facere consueverat, secus autem, si hoc ab Episcopo non fiebat*, uti habetur apud *Garz.* de benef. par. 5. cap. 7. n. 23. et bene prosequuntur *Barb.* ad cap. 6. sess. 25. de ref. n. 14., *Galemart.* ad cap. 16. sess. 24. §. *Dubitatum fuit*, *Stroz.* de officio Vicarii lib. 2. q. 145., *Ludovicus a Saravia* in tract. de adjunctis impresso post Francos de Eccles. cathed. edit. Venetae anni 1698 q. 17. num. 35.

Nonnulli facultatem visitandi in Capitulo seu Vicario capitulari censent in praxi admittendam, si Ecclesia non sit de proximo providenda, *Barbos.* ad Concil. cap. 3. n. 8. sess. 24. de refor., *Marchet.* in praxi Vicar. capit. par. 1. tit. 18. n. 3. Cumque id ut plurimum pendeat a voluntate Summi Pontificis, s. haec Congregatio aliquando respondit agendum esse cum

eodem antequam aliquid decernatur, ut resolutum fuit die 17. Octobris 1600; quaerebatur enim: *An Capitulum Sede vacante posset visitare civitatem et dioecsim?* et visum fuit Illis Patribus: *non expedire, ut Capitulum habeat hujusmodi facultatem quae ei forte competit juxta gravio-rem Doctorum opinionem, ideo antequam aliquid decernatur agendum esse cum Sanctissimo.*

His positis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An Vicarius capitularis Scardonon. facere possit visitationem civitatis et dioecesis?*

II. *An facere possit visitationem personalem Capitularium in casu?*

S. C. C. resp. ad utrumque: *Affirmative*, dummodo elapsus sit annus a die ultimae visitationis ab Ordinario.

Die 13. Sept. 1721.

Ad dub.: An et quando Vic. cap. possit visitare? S. C. C. resp.: Post lapsum anni. Die 28. Julii 1708 ad 4.

Ad dub. 1.: An Vicarius capit. in visitatione ultra procuraciones recipere possit cibaria et equitatus et alia donaria?

2: Et quatenus fuerint percepta, an sint restituenda et quibus?

S. C. C. resp. ad 1: *Negative*; ad 2: *Affirmative* ad formam Concilii, et quibus de jure.

Die 28. Julii 1708 ad 6. et 7.

Ad dub.: An Vicario capitulari Civitatis Aquilae competat jus visitandi Abbatiam s. Joannis de Collimento de Luculo immediate subjectam s. Sedi apostolicae?

S. C. resp.: *Negative* et amplius.

Die 5. Julii 1710.

Potest Vicarius capitularis dioecesim visitare per se vel per alium et in visitatione decreta facere, dummodo sit lapsus annus a postrema visitatione, nec faciat novitates. S. Congr. Episc. in Lancianen. 10. Jun. 1629 et Pampilonen. 3. Febr. eodem anno, in Materan. 10. Dec. 1604. Cum famulatu et comitatu solito a Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de reform. praescripto S. Congr. Conc. in Limana 10. Maii 1629.

Item potest visitare Moniales non exemptas, exemptas vero non potest; *Barbos.* l. 1. juris eccl. univers. cap. 32. num. 71.

Moniales tamen exemptas potest visitare in iis, in quibus datur Episcopis facultas perpetua visitandi tanquam Sedis apostolicae Delegatis. Talis enim delegatio cum sit facta Episcopis in perpetuum, est pars jurisdictionis ordinariae et sic transit ad Vicarios capitulares; *Barbosa* de Canon. et Dignitatibus cap. 42. num. 107. et lib. I. juris eccl. univers. cap. 32. n. 31. in fine, *Molina* de justitia tract. 5. disp. 11. n. 8. loc. cit. num. 24. et alii passim.

Vicarius capitularis potest dioecesim visitare post peractum annum a visitatione ab Episcopo facta, ut pluribus s. Congregationis decretis decisum est *ibid.* lib. 2. cap. 9. §. 5.

Illi tamen non nisi dimidium procurationis, quae solvitur Episcopo, retribuendum est, cum debeat minori comitatu incedere, ut constat ex resolutione s. Congregationis in una Ostunen. die 7. Julii 1708. *Ibid.* lib. 7. cap. 53. §. 5.

93) Vicarii foranei.

In Visit. Vic. for. inquirendum est:

1. An in morte parochor. inventarium rerum ecclesiae conficiat et scrip-

turas omnes et libros paroch. ab haeredibus defuncti recuperare invigilet testibus adhibitis?

2. An dispositiones et legata relicta locorum piorum Vicario generali communicet, ut executioni mandentur?

3. An Clericos et Sacerdotes scandalosos vel indevote missam celebrantes Episcopo denuntiet?

4. An parochos et alios curam exercentes desides et eorum munia negligentes ad Episcopum deferat, ut corrigantur?

5. An peccata publica et scandala, quae emergunt, pariter Episcopo denuntiet?

6. An exigat poenas contra facientes opera servilia sine licentia diebus festis?

7. An concedat licentias alloquendi Moniales sine scriptis et tempore officior. divin.?

8. An concedat licentias parochis et curatis se absentandi a residentia?

9. An interponat decreta in contractibus Minorum et Mulierum?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

94) Vicarii generalis.

Vd.: *Visit. Episcopi* (Subdeleg.)

Vicarius generalis jus visitandi non habet, nisi specialiter ei committat Episcopus: *Barbosa* supra Concil. cit. sess. 24. cap. 3. n. 3. et cit. alleg. 73. num. 28. cum pluribus ibi citatis et alii passim.

Episcopus vicinior, si sit legitime impeditus, potest Ecclesias saeculares nullius dioecesis visitare per suum Vicarium generalem. Sic decisum fuisse die 17. Januarii 1505 testatur loc. cit. num. 6.

Vicarius generalis non potest sine speciali mandato dioecesim visitare, quia visitatio videtur Episcopis tantum reservata, quia per ipsos visitare tenentur singulis annis et ipsis legitime impeditis per suos Vicarios; can.: *Decernimus* 10. caus. 10. qu. 1., can.: *Episc.* 11. ead. caus. et quaest. c.: *Inter caetera*, de offic. Ordinarii, cap.: *si Episcop.* 6. eod. in 6. Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 8. et sess. 24. de reformat. c. 3., *Rebuff.* in praxi benefic. tit. forma Vicariat. n. 100., *Sbroz.* lib. 2. q. 120. n. 2., *Pellegrin.* in praxi Vicar. p. 1. sect. 1. subs. 1. n. 46. *Barbosa*, p. 3. de off. et potest. Ep. alleg. 54. n. 102. et alii passim.

95) Visitandi quas res praeparent?

Vd.: *Visitatio* (res visitandae, parochi etc.)

Index praeparandorum a Visitandis.

1. Oratio publica, et, si fieri potest, quadraginta horarum, indicatur a Parochis, saltem in locis insignioribus.

2. Monitio populo fiat de proxima visitatione, causis, effectibus, et ritu, intra missas lectis pastoralibus literis, si datae sunt, et moneatur populus ad revelandum ea, quae correctione agant.

3. Invitetur populus ad poenitentiae sacramentum, ut de manu Episcopi sumat Eucharistiam.

4. Praeparentur ii, qui confirmandi sunt, paratis opportunis schedulis, in quibus scripta sint nomina, cognomina Confirmandorum, Compatrum et Parochiae.

5. Frequenti campanarum sono excitetur populus, maxime vero pridie visitationis.

6. Ex vicinioribus locis convenient Confessionarii approbati ad confessiones audiendas.

7. Praeparentur hostiae et particulae, vinum, mappae, vasa ad sacrae communionis usum.

8. Ornetur Ecclesia et paretur locus pro ministrando Sacramento Confirmationis.

9. Si quae sunt benedicenda vel consecranda, opportune parentur.

10. Pro caeremoniis episcopalibus: Umbella seu baldachinum in porta oppidorum insigniorum, a nobilioribus loci gestandum.

Crux sine hasta ab Episcopo deosculanda.

Tapes cum pulvino.

Thuribulum cum navicula.

Vas aquae benedictae cum aspersorio.

Pluviale et stola coloris albi pro Rectore Ecclesiae.

Scabellum genuale cum tapete et pulvinaribus ante altare majus.

Sedes praealta supra tres gradus et sub umbella, si fieri potest, a latere Evangelii, cum tapete supra gradus.

Gossipium pro abstergendo Christumate sacro post Confirmationis Sacramentum, panniculi duo et vas aquae ad hunc usum ad levandum et tergendum frontem Confirmandorum.

Vas aliud pro colligendo gossipio jam adhibito.

Occursus cleri totius, confraternitatum doctrinae christianae et populi, intrante Episcopo, Litanias cantantium aut hymnos et praesertim canticum: *Benedictus*.

Sex candelabra in altari majori cum candelis circiter sex unciarum.

Duo intortilia ad varios usus.

10. In Sacristia exponatur ordine sacra supellex, ut brevi cerni possit.

12. Ibidem libri ad usum Ecclesiae destinati, Missalia, Breviaria, Antiphonaria, Ritualia.

13. Index sacrarum reliquiarum cum suis testificationibus.

14. Indulgentiarum altarisve privilegiati documenta.

15. Inventarium jurium, privilegiorum et onerum Ecclesiae; tum finium parochiae descriptio.

16. Statuta si quae sunt Ecclesiae propria et mores in divinis officiis, si differant ab aliis.

17. Inventarium sacrae suppellectilis.

18. Inventarium bonorum stabilium et reddituum Ecclesiae, Decimarum et Oblationum.

19. Index beneficiorum, quae sunt infra finem parochiae.

20. Index Ecclesiarum, Oratoriorum, Capellarum cum oneribus intra eosdem fines.

21. Item Sodalitatum, Confratrum Locorumque.

22. Item Monasteriorum tam viro- rum quam mulierum cum titulis propriis et numero personarum.

23. Item Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Clericorum saecularium ejusdem Parochiae.

24. Item eorum, qui disciplinam ecclesiasticam, ut Clerici fiant, ingrediuntur.

25. Item eorum laicorum, qui Ecclesiae deserviunt, in divinis officiis, funeribus etc.

26. Index bonorum fortasse usurpatorum a laicis.

27. Index missarum receptorum et celebrandarum, et a quibus factum sit satis.

28. Index legatorum solutorum et solvendorum ad pias causas relictorum.

29. Prompti habeantur codices parochiales Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonio conjunctorum, status animarum et Defunctorum.

30. Decreta synodalia, Edicta, Bulla in Coena Domini et casus reservati.

31. Index eorum, qui in parochia sua de haeresi suspecti sunt, blas-

phemi, malefici, simoniaci, usurarii, concubinari, adulteri, notorie criminosi et qui non communicantur in Paschate. Item conjugum diversorum, excommunicatorum, interdictorum, festa violantium, aleatorum et prohibitos libros habentium.

32. Index Medicorum, Ludimagistrorum, Obstetricum, Pictorum et Sculptorum, Bibliopolarum, Notariorum, Cauponum et similium personarum, de quibus nosse debet Episcopus.

33. Et haec omnia paranda erunt respective ab omnibus visitandis.

34. Alia sunt parata a quolibet de clero, ut Ordinum instrumenta, Beneficiorum item, tum facultates datae pro audiendis Confessionibus, Concionibus habendis, Missa certo loco celebranda, habitandi cum laicis ancillave seu extra aedes ecclesiasticas, locandi aliis easdem, exponendi capsulam pro eleemosynis.

35. Tum libri personales, qui solent praescribi Ecclesiasticis, Missale, Breviarium, Kalendarium, Volumen Bibliorum, Homiliarum, Catechismus romanus et ejusmodi.

Gavant. Merat. t. V. p. 62. (Ed. Venet. 1823.)

VISITATOR.

(Num vim adhibere possit?)

Visitator, si sibi impediatur aditus ad visitandum, non potest frangere portas Ecclesiae, sed uti gladio spirituali censurarum, tenet expresse *Monac.* tom. 3. tit. 1. form. 39. n. 2. post Graffium decs. aur. par. lib. 5. cap. 27. num. 59. ubi sic praecise habet: „Visitator non debet frangere portas Ecclesiarum, si sibi denegetur aditus ad faciendam visitationem. Ita

2) Submissa.

(Quae sunt v. s. dicenda?)

Ad dubium: An in missa sol. dici debeant submissa voce omnia verba ab: *In nom. Patr.* usque ad introitum, insuperque: *Orate fratr., Sanctus, Nobis quoque peccator.* et *Domine non sum dignus?* Quandoquidem rubrica cap. XXVI. ita praescribit: *Alia, quae in missa priv. dicuntur voce submissa.*

S. C. resp.: *Affirmative*, dummodo intelligatur a Ministris. n. 4526 ad 14 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: An ferendus sit usus in archidioecesi Senensi existens omitendi in choro partes illas tum divini officii tum missae, quas organi sonitus supplet?

S. C. resp.: Submissa voce dicenda, quae omittuntur ob sonitum organi quando non pulsatur, integre esse dicenda. Die 22. Julii 1848 ad 4.

S. WALDETRUDIS.

Belgien.

S. Rituum Congregatio ad relationem Emi D. Cardinalis Casanate, auditis animadversionibus Rmi fidei promotoris concessit ut s. Waldetrudis describatur in martyrologio romano sub die 9. Aprilis, supplicante collegio canonissarum Montensium in Belgio. Die 6. Maii 1679.

Anal. J. P. 1865 p. 1222 n. 2098.

Belgien.

Montibus in Hannonia beatae Waldetrudis, vitae sanctimonia et miraculis clarae s. Rituum Congregatio, ad relationem Emi D. Cardinalis Casanate, auditis animadversionibus Rmi fidei promotoris, censuit suprascriptum elogium, ut jacet b. Waldetrudis ap-

Innocent. in *d. cap. 1. de Immunitat. Eccles.* „Quia bona Ecclesiarum sunt Sancta Sanctorum et Domino consecrata etc. et sic qui violentiam facit, Sacrilegium committit“: dist. 12. qu. 2. can.: *Nulli liceat*, et canon.: *Quicumque*, „sed potest* uti gladio spirituali, id est excommunicatione vel interdicto; facit text. in cap.: *Dilecto*“ de sentent. excommunicat. in 6. et ita defendere suam possessionem hoc est visitationem. Ita not. per Innoc. et Hostiens. in cap.: *Venerabili* 24. de censibus, *Barbosa* tamen supra Concil. sess. 24. de Regularibus cap. 11. num. 16. et de officio et potest. Episcop. part. 3. allegat. 74. n. 22. et lib. 1. juris eccles. univers. cap. 43. n. 139., *Tamburin.* de jur. Abbatissar. disp. 17. q. 3. n. 4., *Fuscus* de visitat. lib. 2. cap. 16. post n. 1., *Ciarlinus* controvers. lib. cap. 65. n. 12., *Ventriglia* in praxi par. 1. adnotat. 48. §: Unico n. 88. et alii volunt, quod renuentibus regularibus vel aliis exemptis visitationem et claudentibus ostium Ecclesiae vel monasterii liceat Episcopo vim inferre et ostium frangere.

SS. VITALIS ET AGRICOLA.

(Officium.)

Ad dubium Benedictin. Einsidlen.: Qualis in festo s. Caroli Borr. in 1. vesp. pro commemorat. ss. Vit. et Agricolae mm. sit dicendus versus?

S. C. resp.: *Istorum est enim* etc. cum versu: *Laetamini*; ad laud. substituetur versus: *Exultent justi* post antiphonam: *Vestri Capilli.* n. 4044 ad titul. dub. 2. die 5. Maii 1736.

VOX.

1) In Capitulo.

Vd.: *Capitulum* (vox).

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.